BIBLIA LATINA

Klosterneuburg, um 1310/1315

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Ego descendam tecum. Venerunt
ergo David et Abisai ad populum nocte,
et invenerunt Saul iacentem et dormi-
entem in tentorio, et hastam fixam in
terra ad caput eius, Abner autem
et populum dormientem in circuitu eius.
Dixitque Abisai ad David: Conclusit
Deus hodie inimicum tuum in manus
tuas. Nunc ergo perfodiam eum lancea
in terra semel, et secundo opus non erit.
Et dixit ad Abisai: Ne interficias eum.
Quis enim extendet manum suam in
christum Domini et innocens erit? Et dixit
David: Vivit Dominus, quia nisi
Dominus percusserit eum, aut dies eius
venerit ut moriatur, aut in prelium
descendens perierit, propitius sit mihi
ne extendam manum meam in
christum Domini. Nunc igitur tolle hastam
que est ad caput eius et cyphum aque,
et abeamus. Tulit ergo David hastam
et cyphum aque qui erat ad caput
Saul, et abierunt. Et non erat quisquam
qui videret et intelligeret et evigilaret,
sed omnes dormiebant, quia sopor
Domini irruerat super eos. Cumque trans-
isset David ex adverso et stetisset in verti-
ce montis de longe, et esset grande in-
tervallum inter eos, clamavit David
ad populum et ad Abner filium Ner di-
cens: Nonne respondebis, Abner? Et
respondens Abner ait: Quis es tu qui
clamas et inquietas regem? Et ait
David ad Abner: Numquid non vir
tu es? Et quis alius similis tui in
Israel? Quare ergo non custodisti dominum
tuum regem? Ingressus est enim unus
de turba ut interficeret regem dominum
tuum. Non est bonum hoc quod fecisti.
Vivit Dominus, quoniam filii mortis
estis vos, qui non custodistis dominum
nostrum christum Domini. Nunc ergo vide ubi
sit hasta regis, et ubi sit cyphus aque
qui erat ad caput eius. Cognovit
autem Saul vocem David et dixit: Num-
quid vox tua est hec, fili mi David? Et
ait David: Vox mea, domine mi
rex. Et ait: Quam ob causam dominus meus
persequitur servum suum? Quid feci?
Aut quod est in manu mea malum? Nunc
ergo audi, oro, domine mi rex, verba
servi tui. Si Dominus incitat te adversum
me, odoretur sacrificium. Si autem
filii hominum, maledicti sunt in con-
spectu Domini, qui eiecerunt me hodie ut
non habitem in hereditate Domini, dicentes:
Vade, servi diis alienis. Et
nunc non effundatur sanguis meus
in terra coram Domino, quia egressus est rex
Israel ut querat pulicem unum, sicut
persequitur perdix in montibus. Et ait
Saul: Peccavi. Revertere, fili David;
nequaquam enim ultra male tibi faciam,
eo quod preciosa fuit anima mea in
oculis tuis hodie. Apparet enim quod
stulte egerim, et ignoraverim multa
nimis. Et respondens David ait: Ecce
hasta regis; transeat unus de pueris
regis et tollat eam. Dominus autem
retribuet unicuique secundum iusticiam
suam et fidem. Tradidit enim te Dominus
hodie in manum meam, et nolui exten-
dere manum meam in christum Domini. Et
sicut magnificata est anima tua ho-
die in oculis meis, sic magnificetur
anima mea in oculis Domini, et liberet
me de omni angustia. Ait ergo Saul ad
David: Benedictus tu, fili mi David; et qui-
dem faciens facies, et potens poteris.
Abiit ergo David in viam suam, et
Saul reversus est in locum suum.
Et ait David in corde XXVII.
suo: Aliquando incidam uno die
in manus Saul. Nonne melius
est ut fugiam et salver in terra Philis-
tinorum, ut desperet Saul, cessetque me que-
rere in cunctis finibus Israel? Fugiam
ergo manus eius. Et surrexit David